

- ad Decalog. lib. 2. c. 1. dub. 22. nu. 3., *Lessius de Just.*, & *Jure lib. 2. cap. 42. dub. 12. num. 62.*, *Azor. p. 1. lib. xi. cap. 9. q. 10.*
- 62 Si verò prætitur Præfides Creditorum concessisse Salvum conductum Jure delegato, tunc certa, & evidens est subreptio, quia Moyses non narravit pacta, ut supra dictum est, quia Princeps non concessisset in præjudicium Creditorum tollendo Jus eis quæsitum, ex vi Juramenti præstiti, ob quod etiam Papa edidit regulam Cancellariæ de non tollendo Jure quæsitum, unde rescriptum non potest extendi ad talem, & tantum Juramenti derogationem, ut fusius ostendit *Grass. tract. de except. 32. à nu. 12.*, & *seqq.*, usque ad nu. 32., *Salgad. labyrinth. Cred. p. 2. cap. 30. num. 14.*
- 63 Ex ea semper generali reg., quod si Princeps de Pacto jurato scivisset, non concessisset, unde fit subreptio, *Marchesan. de Commiss. p. 3. de commiss. relaxandis Juram. ad effectum agendi 3. nu. 34.*, *Pedemont. decis. 22. num. 7.*, *Abbas in c. Querellam num. 2. de Jur. Jur.*, *Glos. in c. Pervenit de fidei jussor.*, *Merlin. decis. 243. num. 4.*, *Felin. in cap. super litteris num. 8. de rescrip.*
- 64 Addas quod Moyses petendo, & reportando Salvum conductum ad finem utendi contra Juramentum, se indignum reddidit, *cap. Veritatis de Jur. jur.*, & reddit gratiam nullam, *Felin. in cap. Postulastis col. 4. Vers. declara etiam de rescript.*, *Menoch. de arbitr. Jud. c. 201. num. 37.*, *Marchesan. de Commiss. p. 3. de Commiss. relax. Juram. ad effectum agendi §. 3. sub num. 46. post medium.*
- 65 Hinc sequitur, quod Judex non tenetur parere rescripto sic a Periuro impetrato *cap. super litteris de rescript.*, *cap. dilecti de except. ubi Decius in notabili 4.*, *Bartol. Consil. 115. nu. 4. Vers. Premittendum est.*, *Marchesan. supra sub. num. 84.*, *Ottobon. decis. 194. n. 1.*
- 66 Quoad tertium pro Moyse allegatum, solutio clara est, quod Salvus conductus potest considerari, vel respectu ad concedentem, & tunc Beneficium Principis debet late interpretari, at per respectum ad Tertium, cui potest esse præjudiciale, debet strictè interpretari ad traddita *per Sanchez. de matr. lib. 8. disp. 1. num. 4.*, *Farinac. quæst. 29. sub nu. 22. Vers. & licet; post medium.*, *Paris consil. 106. nu. 9. lib. 4.*, & ideo Beneficium Principis in præjudicium tertii non debet extendi ultra narrata *ad cap. 1.*
- §. ille vero de filiis Præbiter.*
- 67 Petitio autem, vel generaliter facta à Moyse de Salvo conducto, pro omnibus sibi præjudicialibus non potest extendere Interpretationem rescripti ad ea quæ erant specificè narranda, vel fuit indefinita, & in præjudicium tertii non equipollet Universali, *Menoch. consil. 220. num. 68. cum seqq. lib. 3.*, *Surd. Consil. 431. num. 70. lib. 3.*, *Purpurat. consil. 33. nu. 17.*, *Gratian. discept. for. cap. 650. num. 10.*, *Barbosa Axiom. 123. num. 13. ubi plures.*
- 68 Neque obstat decis. 5. Afflict., quæ ex adverso allegabatur, ubi quod curiales laici tenent, quod Salvus conductus generalis concessus à Rege se extendat etiam ad debita Jurata, ex quo videtur Rex saltem in genere cogitasse de omnibus etiam Juratis, *arg. l. qui Jure militari ff. de testam. militari.*
- 69 Quia, prima responsio est, quam affert ipse Afflictus in decis., quod omnes Juristæ dicant contrarium, quia dispositio Principis laici non potest trahi ad Casum in quo fit Juramentum.
- 70 Secundò, illi Curiales loquuntur in terminis Regiæ Pragmaticæ, nos autem in terminis Juris Communis.
- 71 Tertio, quia nos sumus in Casu duplicis Juramenti, primum est de observanda obligatione acceptata in Contractu, Secundum, de non utendo Salvo conductu, in quibus terminis non loquuntur illi Curiales laici, attamen in terminis Unius Juramenti de Servando Contractu expresse comprobatur Afflictus decisio, cum addent: id est Saluum conductum quamvis generalissimum à Rege concessum, non se extendere ad Contractum Juratum.
- 72 Ad quartum, cum rescriptum non se extendat ad Contractum Juratum, multominus facultas Præfidentium, qui non possunt ullo modo excedere fines rescripti, alias sine Jurisdictione agunt, unde non sufficit Scientia Juramenti, *l. diligenter ff. mandati cap. cum olim. de offic. deleg.*
- 73 Quod autem dicebatur de Juramento Iudæorum nihil esse curandum, quia foris sunt, Respondeo Juramentum si summatur attento Jure Canonico, & per respectum ad Animam Jurantis, tunc posse intrare illud Pauli, *De bis, qui foris sunt nihil ad nos*; Secundo potest summi tamquam actus

- actus Civilis, & quatenus Jus Civile præcipit Juramenta servari, in hoc sensu omnino hebræi tenentur servare Juramenta, *Surd. Consil. 122. num. 24.*, & *seqq. lib. 1.*, *Bald. in Authent. Sacramenta puberum §. item Sacramenta C. si adversus Venditionem, cap. finali de Judæis num. 7.*
- 74 Verum ulterius considerandum est, quod aliud est Principem cum Judæis se habere negativè, nihil curando de eis, aliud concurrere positivè ad violandum Juramentum, primò modo intrat illud Pauli, secundò modo nulli licet, idè si Princeps scivisset Moysem jurasse servare Contractum, & jurasset non uti Salvo conductu, non dedisset, quia hoc fuisset positivè concurrere ad violationem Juramenti.
- 75 Vel intelligas *Cum Cornelio à Lapide Illud Pauli de excommunic.*, & aliis pœnis spiritualibus, secus quoad alia delicta pœnis corporalibus punienda, *Royas de hæretic. p. 1. num. 563.*, *Carena de Sancto Offitio p. 2. tit. 14. §. 2. sub. num. 7. Vers. ad p. Respondetur.*, *Bordon. Sacrum Tribunal. c. 25. num. 9.*
- 76 Tertio, potest Juramentum Summi, tanquam actus religionis, quo Deus vocatur In testem, & in hoc sensu omnino ex communissima omnium D.D. sententia Judæi cogendi sunt servare Juramentum, quia Juris divini est, & aliàs fieret injuria Deo ad allegata *per Ricciulum de Jure Personarum extra Eccles. lib. 2. c. 10. num. 6.*, & *seqq.*, *Seraphin. de privileg. Juramenti privil. 67. nu. 39.*, & *seqq.*, *privil. 123. num. 6. 7.*, *Gabriel. de donat. Conclus. 3. num. 26.*, *Nald. Vers. num. 6.*, *Farinac. q. 160. nu. 224. 231.*, & *seqq.*, Ubi quod Judæus non servans Juramentum potest puniri tam à Judice Ecclesiastico, quàm laico; *Bajard. ad Clarum §. Perjurium num. 6.*, & iterum *Farinac. in fragment. Criminal. p. 2. V. Judæus n. 620.*
- 77 Quod obligetur de Jure divino, etiamsi juraret per Christum, quem tamen non credit Deum, nec venisse *tex. in c.*, & *si Christus de Jur. Jur.*, ubi Canoniste, *Surd. Consil. 122. num. 27. lib. 1.*, *Ricciul. dicto cap. 10. num. 1.*, ibique per eum allegati, *Ciarlin. Controvers. forens. 122. num. 23.*, *Bartol. in rubr. ff. Veter. Proemial. num. 5.*, *Bertacin. de Episcopo in 4. vol. tract. folio mibi 39. nu. 17. 18.*, *Pellegrin. praxi Vicariali p. 4. tract. 4. num. 12.*
- 78 Quod autem allegabatur ex Marquardo de Judæis, ibi agi si bene observetur, quando Judæus jurat ad favorem alterius Judæi, secus si ad favorem Christiani, ut *num. 11. ejusdem Capitis se declarat*, quia tunc, & Deum lederet, & Christianum præjudicaret.
- 79 Nec quidquam urget, quod Judæus non credat Deum Trinum in Personis, sed solum Unitatem Dei, nam adhuc Juramentum est per Deum verum, & secundum hanc Veritatem communem Christianis, & Judæis subiicitur Judici Ecclesiastico, & Inquisitoribus Fidei, maxime attenda *Bulla Gregor. XIII. in primo Casu*, de quo latè *Carena de Santo Offitio p. 2. tit. 14. §. 6.*
- 80 Tum quia Conceptus Unitatis Dei, licet ex se sit inadequatus, tamen est conceptus verus, quod Deus revera sit Unus, tum quia licet non credat Personarum Trinitatem, tamen ex conscientia erronea credit se jurare per Deum uti est, quod sufficit ab obligandos etiam Infideles Jurantes per suos Deos licet falsos, ad notata *per Sanchez. ad Decalog. lib. 3. c. 2. num. 5.*, & *communiter*, *D. Thomas 2. 2. q. 98. art. 4.*, *D. August. relatus in Can. Mouet te 22. q. 1.*, *Covar. in cap. Quamvis pactum p. 1. num. 10.*, *Abbas in d. Cap. Et si Christus nu. 13.*, *Sot. de Just. & Jure lib. 8. q. 2. art. 3.*, *Sayr. Clavi Regia lib. 5. c. 3. num. 21.*, *c. 6. num. 1.*, *Barbosa in c. Mouet te 22. q. 1. num. 5. 6.*, *Suarez de relig. tom. 2. tract. de Juram. lib. 2. cap. 5. num. 5.*, *Gibalin. de usur. lib. 1. cap. 9. artic. 5. num. 7.*
- 81 Certum est etiam, quod Judæi tenentur servare præcepta Decalogi tamquam divina naturalia, quæ primo data fuerunt hebræis *Levitici cap. 29.*, *Exodi cap. 20.*, & dicitur *in cap. & si Christus de Jure Jur.*, inter quæ Præcepta est non peierabis, *Marquard. de Judæis p. 2. cap. 9. nu. 2.*, Moyses autem non servans Contractum, & utens Salvo conductu pejeravit, quia fecit contra illa duo Juramenta, quod neque Præfides Creditorum, neque Eminentissimus Legatus permisisset, si fuisset narratum Moysem devinctum duobus illis Vinculis, veletiam dato, quod voluisset concedere, necesse erat, quod prius absolveret à Vinculo Juramenti, quod non fecit, & tot requirebantur absolutiones, quod fuerunt Juramenta, *Sperell. decis. 83. num. 36.*, hodie autem post incursum Perjurium non est locus

- locus Absolutioni; *Pigant. ad rubric. 90. Statuti num. 52.*
- 82 Ad illud, quod Præsides poterant consentire in sui præjudicium, & Juramentum remittere, quod saltem tacite censeatur factum, jam supra responsum est abundanter, quod necesse erat vocare omnes, alias pro non vocatis non poterant consentire, & præjudicare, tum quia non agebant uti Creditores, sed uti à Principe delegati.
- 83 Ad quintum, non verificatur Juramentum Moyfis fuisse irrationabile indiscretum, nam poterat sine incommodo animæ servari, idest sine dispendio salutis æternæ, & tunc semper est servandum *cap. Quanto de Jur. Jur., Masquand. d. c. 8. num. 10., cap. si vero de Jur. Jur.*
- 84 Ad sextum, quod per secundum Contractum Bartolomæi, cum Moyse facta sit novatio, responsio est, quod ad hunc secundum Contractum regimen, seu administratio Præsidium Creditorum non se extendebat, idè, sequitur quod Salvus conductus per Præsides concessus non poterat

se extendere ad hunc secundum Contractum novatum, rescriptum enim Principis Committentis Præsidiis Creditorum eos respiciebat, quatenus regebant, & administrabant juxta primum Contractum.

Tum quia specialis Consensu Bartolomæi requirebatur, sicuti de ejus speciali interesse agebatur.

- 85 Tum quia etiam ab illo secundo Contractu fuit recessum, & reversum ad primum, nam videns Bartolomæus, quod Moyse non erat paratus primo anno elapso solvere fructus societatis in sex pro Centenario, & anno, Consensit quod Præsides Creditorum in distributione Capitalis in octenario faciendâ, sibi etiam portio primi anni præstaretur, & hoc de consensu Moyse, & per hoc censetur partes iterum reassumpsisse pristinam obligationem cum suis Vinculis.

Quarè Salvus conductus non potuit sustineri contra Bartolomæum ab Angelo, ideoque pronuntiavi Moyse Vitæ debitoris Capturam fuisse, ac esse validam; Virtute cujus retentus fuit in Carcere donec &c.

## Articuli de Negligentia Dubitantium.

### S U M M A R I A.

- 1 Dubius tenetur inquirere, alioquin negligens est.
- 2 Maxime utilitatis est agere de negligentia dubitantium.
- 3 Qui dubitat de sua illegitimitate natalium, in utroque foro debet diligentem Inquisitionem præmittere.
- 4 Sufficiens Inquisitio dicitur ea, quæ secundum prudentum Judicium, apta est ad veritatem assequendam, attentis circumstantiis loci, temporis, & personarum.
- 5 Ad illegitimitatem investigandam tanta requiritur diligentia, quanta quisque de facili potest certiorari.
- 6 Illegitimitas est difficilis probationis, ita ut neque matri dicenti credendum sit, nisi ex aliis argumentis comprobetur.
- 7 Factis dubiis, si adhuc remanet dubius, tamen potest promoveri ad ordines, quia in dubio præsumitur legitimus.
- 8 Expositi censentur legitimi, plures tamen Theologi, & Canonistæ contrarium sentiunt n. 9.
- 10 Qui dubitat an bene, vel malè moraliter agat, debet omne studium, & omnem diligentiam adhibere, ut veritatem, saltem per rationes probabiles assequatur; etiam adhibito prudentum consilio, & præmissa ad Deum oratione.
- 11 Exactores Gabellarum, Tributorum, & Collectorum, dubitantes de Justitia exactiois, & rationibus num. 12. recensitis; Si sciant Dominum imponentem dubitare de Justitia, tenentur inquirere, donec veritatem assequantur, alias abstinere, si verò dominus imponens non dubitat, & exactor sit subditus, non tenetur ad ulteriorem inquisitionem, quia præsumitur pro superiore num. 13.
- 14 Idem in exequore Justitiæ.
- 15 Idem in milite dubitante de justitia belli.
- 16 Si verò prædicti non sint subditi, tenentur diligenter inquirere de justitia exactiois, vel belli, alioquin peccant, & tenentur ad damna juris ordine servato.
- 17 Dicta de subditis habent locum, etiam si non compellantur, sed tantum invitentur.

- 18 Et casu quo non peccant, neque incurrunt censuras, etiam si non compulsi, sed solum invitati accedant, num. 19.
- 20 Extranei verò, & non subditi dubitantes, nec sufficientem diligentiam præmitentes ad assequendam justitiæ veritatem, peccant, & censuram incurrunt, si pertingat ad culpam latam.
- 21 Facta diligentia, si ex conscientia erronea operentur credentes bellum Injustum, & exactioem Injustam, tunc peccant quidem propter erroneitatem, at non incurrunt censuras, si exactioem vera non sit iniusta.
- 22 Consilarii, Confessarii, Theologi expetiti à Principe de Justitia exactiois, vel belli, non possunt in dubio præsumere justum, sed tanquam Judices debent judicare super re certa; idest ex certa scientia, quæ requiritur ad judicandum, nec standum est dicto Principis, qui est pars, & agitur de præjudicio aliorum, num. 23.
- 24 Dubitans de proximi extrema necessitate tenetur investigare, & elemosinam largiri, alias negligens peccat.
- 25 Dubitans Sacerdos se esse excommunicatum, debet uti omni diligentia possibili ad veritatem assequendam, alias in hoc dubio celebrans fiet irregularis, si re vera erat excommunicatus, & postea detegatur.
- 26 Maritus, & Uxor dubitantes de validitate Matrimonii, possunt reddere debitum, sed non petere, interim diligenter inquirere, & facta omni diligentia moraliter possibili, si adhuc dubium perseverat, possunt etiam petere.
- 27 Potens de facili dubium tollere, tenetur omnem diligentiam adhibere, alias in dubio operando peccaret, quia censetur amare periculum.
- 28 Emens ab eo, quem furem dubitat, tenetur de veritate prius inquirere, alias peccat, & tenetur res emptas restituere vero domino, nec ab eo recuperat pretium.
- 29 Nisi emat à latronibus villi pretio, animo reddendi domino, quia tunc recuperat pretium exburnsatum, ex quo gessit rem utilem rei domino.
- 30 Contrahens cum altero tenetur inquirere de conditione ejus, cum quo contrahit, alias negligentia ei nocet.
- 31 Limita si dubium sit probabile ad favorem dubitantis.
- 32 Si superior præcipiat, & subditus dubitet de potestate illius, hic potest, & tenetur obedire, nulla præmissa diligentia.
- 33 Dubius in materia irregularitatis abstinere ab administratione Sacramentorum, donec per diligentem inquisitionem veritatem assequatur, alias peccaret mortaliter.
- 34 Factis diligentis perseverans in dubio Juris, non censetur irregularis, in dubio vero facti homicidii habetur pro irregulari, non vero in dubio facti cujuscumque alterius generis.
- 35 Possessor rei, dum incipit dubitare, nec in bona, nec in mala fide est, si postea negligat inquire censetur possessor malæ fidei, factis possibilibus diligentis perseverans in dubio est possessor bonæ fidei.
- 36 Dubius an emitterit votum negligens inquirere de Veritate, & non servans votum peccat, factis verò diligentis perseverans in dubio, non tenetur servare votum.
- 37 Possessor bonæ fidei ex supervenientibus incipiens dubitare, si negligat inquirere per aliquod tempus, deinde conscientia urgente velit inquirere, sed invenit obiisse, qui poterant veritatem testari, probabile est, quod revertatur ad pristinam bonam fidem, & tuta conscientia possit rem retinere.
- 38 Dubius de suo baptismo quantam diligentiam debeat adhibere.
- 39 Dubium triplex est, negativum, positivum, & Juris.
- 40 Unicus testis probat sufficienter, quem esse baptizatum.
- 41 Intellige, si ille unicus testis sit Christianus, secus si infidelis.
- 42 In dubio positivo, est baptizandus sub conditione.
- 43 Item in dubio Juris præmissa omni morali indagine est rebaptizandus sub conditione.
- 44 Dubium debet esse morale, & prudens.
- 45 In casu dubio non est precipitanter agendum.
- 46 Quanta, & qualis debeat esse diligentia Parochi in investiganda validitate baptismi in necessitate collati ab obstetrice.
- 47 Si Parochus, aut obstetrix confiterentur, se plures baptizasse sine intentione, quid agendum.